

DIE VIII DECEMBRIS.

MISSA

IN FESTO

IMMACULATAE CONCEPTIONIS

BEATAE MARIAE VIRGINIS.

INTROITUS.

Isai 61.

Gaudens gaudebo in Dómino, et exultabit ánima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis; et indumento justitiæ circumdedit me, quasi Sponsam ornatam monilibus suis.

Psal. 29. Exaltabo te Dómine quóniam suscepisti me: nec delectásti inimicos meos super me. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparásti; quæsumus, ut qui ex morte ejúsdem Filii sui prævisa eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundosejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eúndem Dominum nostrum.

Et fit commemoratio Ferie.

Lectio Libri Sapiéntiæ.

Prov. 8.

Dóminus possedit me in inítio viarum suarum, antequam quidquam fáceret á principio. Ab ætérno ordinata sum, et ex antíquis, ántequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram: necdum fontes aquarum erúperant: necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparabat cœlos áderam, quando certa lege et gyro vallabat abys-
sos: quando æthera firmabat sursum, et

librabat fontes aquarum: quándo circúmdabat mari términum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta componens; et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tēpore; ludens in orbe terrarum: et delíciæ meæ esse cum filiis hóminum. Nunc ergo filii audite me: Beati qui custódiunt vias meas. Audite disciplinam, et estote sapiéntes, et nolite abjícere eam. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénierit invéniet vitam, et háuriet salutem á Dómino.

GRADUALE. *Judith. 13. 25.*

Benedicta es tu virgo Maria á Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram.

ŷ. *Ibid.* Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. Allelúja, Alleluja.

ŷ. *Cant. 4. 7.* Tota pulchrá es Maria, et mácula originalis non est in te. Allelúya.

In Missis votivis post Septuagesimam omissis Allelúja et ŷ. seq. dicitur.

TRACTUS. *Psal. 86. 1.* Fundaménta ejus in montibus sanctis: diligit Dóminus portas Sion super omnia tabernácula Jacob.

ŷ. *Ibid.* Gloriosa dicta sunt de te Cívitas Dei.

ŷ. *Ibid.* Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altíssimus.

Tempore Paschati omittitur Graduale, et ejus loco dicitur Allelúja, Allelúja.

Ÿ. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. Allelúja.

Ÿ. Tota pulchra es Maria, et mácula originalis non est in te. Allelúja.

✠ Sequéntia Sancti Evangélíi secúndum Lúcam.

Cap. 1.

In illo témpore: Missus est Angelus Gàbriel à Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Náza-reth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et ingrésus Angelus ad eam dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: Benedícta tu in mulieribus.

Credo, quod dicitur per totam Octavam.

OFFERTORIUM Luc. 1.

Ave, Maria grátia pléna: Dóminus tecum: Benedícta tu in mulieribus. Alleluja.

LUGRONII: TYPIS F. MENCHACA.

SECRETÀ.

Salutarem hóstiam, quam in Solemnitate Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ tibi, Dómine, offérimus, súscipe et præsta, ut sicut illam tua grátia præveniénte ab omni labe immunem profitémur; ita ejus intercessione à culpis ómnibus liberemur. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virgine. Et te in Conceptione Immaculata. Et dicitur per totam Octavam, etiam in Festis infra eam occurrentibus.

COMMUNIO.

Gloriosa dicta sunt de te, Maria, quia fecit tibi magna qui potens est.

POSTCOMMUNIO.

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster, illius in nobis culpæ vúlnera réparent; á qua Immaculatam Beatæ Mariæ Conceptionem singuláriter præservasti. Per Dóminum.